



Universitätsbibliothek Paderborn

Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi
decalogi Praecepto

Godeau, Antoine

Augustae Vindelicorum, 1774

Caput II. Praesumptionis vanitas, ac desperationis horror exponuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)

si crucifixi imaginem intuens, aut manu tenens
eger respondeat: *Si exurgat adversum me
prælium, in hoc ego sperabo (Psalm. 26.)*.

CAPUT II.

*Præsumptionis vanitas, ac desperationis
horror exponuntur.*

Desperatio & præsumptio spei opponuntur;
hæc quidem per excessum, illa per defe-
ctum nobilem istam virtutem destruit.

Præsumptio quæcumque inordinata voluntas
est aggrediendi ea, quæ proprias vires excedunt;
prout tamen hic spectatur, est inordinata seu
temeraria beatitudinis, & mediorem illuc con-
ducentium expectatio. Duplici ex capite teme-
raria isthæc expectatio evadit, 1. cum homo
nativis suis viribus, ac virtutibus æternæ beati-
tudinis mercedem deberi elate confidit; 2. cum
homo peccator ita divinæ misericordiæ vel po-
tentia innititur, ut peccatorum veniam sine
penitentia, vel gloriam sine meritis sibi confe-
rendam confidat. Illa prior ex vana gloria, hæc
posterior ex superbia oritur; dum nempe homo
ita se æstimat, ut se etsi peccatorem nec venia,
nec gloria indignum existimet. Utraque, si
perinaciter intellectus judicio sit juncta, sive pela-
gianam, sive calvinianam hæresim spirat; di-
stinctamque peccati gravitatem habet: si vero
istud judicium desit, solaque praxi inordinate
quis confidere videatur, præsumptio simplex
erit,

erit, quæ sæpe cum Dei tentatione coincidit (a).

Desperatio est diffidentia de obtinenda beatitudine, vel acquirendis remediis illuc conducendis. Diffidentia hæc (prout sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 20. *art.* 4. advertit) nonnumquam ex luxuria oritur, qua homini carnalibus affluentiis divina vilescunt: nonnumquam autem ex acedia, qua homo animo ita dejicitur, ac profternitur, ut bonum aliquod arduum sibi & per se, & per alios impossibile acquisitu reputer. Angelus Doctoris verba lacrymabili experientia confirmat.

(a) Qui peccat, aut in mala consuetudine perseverat, quia poenitentiam gartiam quovis tempore, vel saltem in mortis articulo sibi a Deo conferendam sperat; ita ut veniæ spe ad peccandum alliciatur præsumptionis peccatum committit; quia divinæ misericordiæ nimium innititur, ac quasi cum ea ludit, secus sentiendum; si veniæ spes concomitans occasio sit, eumque solummodo ad *liberius* peccandum excitet; hæc enim circumstantia aggravans, non speciem motans foret. Porro Confessarius, antequam remedia contra præsumptionis malum subministret; in ejusdem radices indagare debet. Præsumptionem ex judicio ac pertinacia *hæreticali* prognatam ea, quæ supra (*pag.* 437.) sunt proposita remedia tollent: ex superbia protuberantem illam, quæ (*pag.* 237.) commendata, antidota destruent. Generice autem præderit considerare. 1. Divinam justitiam, quæ repentine, in iectu oculi peccatis simul & vitæ limites ponit. 2. Difficultatem conversionis nimium dilatæ, ita ut facilius sit a concupitis statim abstinere, quam semel assueta deserere.

tantur. Quod si homo ideo desperet, quia peccata sibi a Deo remitti non posse credit, desperatio hæretica, si vero ideo, quia Deum remittere iam non velle existimat, desperatio simplex erit.

Desperationis peccatum gravissimum est, divinae misericordiae, & potentiae maxime injuriosum; nec umquam materiae levitatem admittit. Inter peccata contra Spiritum sanctum primatum tenet, ipsaque infidelitate, aut Dei odio periculosus; quia uti sanctus Thomas notat (2. 2. Quæst. 20. art. 3.) in omnia peccata hominem abripit. Unde Apostolus ait: *Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiae in operationem omnis immunditiae, & avaritiae (Ephes. 4.)*. Et Isidorus (lib. de sum. bono.) ait: *Perpetrare flagitium aliquod, mors animae est; sed desperare est descendere in infernum.*

Sufficiencia desperationis signa in eis sunt, 1. qui malitioso voluntatis proposito concionatores, superiores &c. posthac non amplius audire stant, 2. qui sacramenta veluti inutilia contemnunt &c. 3. qui sepositis christianae fidei signis, qualia communiter Rosaria, Scapularia, Cruces, Agnus Dei &c. reputantur, antequam laqueo se suspendunt, aquis immergunt, studiose abjiciunt, aut omnino pedibus conculcant &c. nisi forte predominanti cuidam passioni, quæ rationem obtenebrat, aut melancholicæ completioni, aut cerebri debilitati &c. hujusmodi adscribi insania possit (a).

Omnes,

(a) Desperatio hæreticalis textibus scripturificis, quales plures Davidis Psalterium continet, est con-

Omnes, qui desperabundi ex hac vita emigrant, recognita rite desperatione ecclesiastica sepultura privantur; illi vero, qui blasphemias aut hæreseos crimen desperationi superaddunt, iisdem cum civilibus, tum canonicis, quos iam in blasphemos & hæreticos statuerunt, obnoxii fiunt pœnis.

confundenda. Qui ex *acedia* in desperationem sunt prolapsi aut proxime prolapsuri pharmaci contra *acediæ* malum supra (pag. 288.) præscriptis, sunt curandi. Qui denique ex pessimis *luxuriæ*, aut aliorum peccatorum *consuetudinibus* &c. desperant, ut consuetudinem deponere, occasionem aut relinquere, aut ex proxima remota tam facere, ac tumultuantem conscientiam confessione vel generali, vel annua &c. tranquillam reddere studeant, blande, ac mansuete sunt admonendi. Hac peracta confessione ut veritas succrescat spes. 1. Maximis encomiis Dei commendetur misericordia. 2. Proponantur notissima de ove perdita, de filio prodigo parabola. 3. Magdalænæ, Dismæ, Davidis &c. aliarumque conversionum narrentur historiae. 4. Quotidianum spei exercitium, ac singulares erga Christi vulnera, Beatissimam Virginem &c. devotiones præscribantur. 5. Contra melancholiam tam naturalem, quam spirituale procuretur remedium.

